Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift



multiplicandis diuitiis incumbunt. alterius uite gaudia
querere contempnunt. Sed inter pecunias habere et pecunias
amare multa distantia est. Multi enim habentes non amant.
multi non habentes amant. item alii et habent et amant.
Alii nec habere nec amare se diuitias seculi gaudent quorum
tutior status est quia dicere cum apostolo ualent. Nobis mundus
crucifixus est et nos mundo. Vnde et salomon non ait
qui habet sed qui amat diuitias fructus non capiet ex eis. Et
ipse dominus obstupescentibus in uerbis huiusmodi sententie
discipulis exponendo subiunxit dicens. Filioli quam
difficile est confidentes in pecuniis regnum dei introire.
Vbi notandum quod non ait quam impossibile sed quomodo difficile est. Quod
enim impossibile est fieri omnino non potest quod difficile cum
labore potest. Potest et enim fieri sed cum maximo labore
iuuante dei gratia ut pecunias habentes et in pecuniis confi
dentes. exutis fylargirie retinaculis ianuam intrent regni
Facilius est enim camelum per foramen De confessoribus. celestis. .xxxii.
acus transire quam diuitem intrare in regnum dei. Si facilius
est camelum in gentibus membris enormem angustum foramen
acus penetrare quam diuitem intrare in regnum dei. nullus ergo
diues intrabit in regnum dei. Et quomodo et in euangelio matheus
lacheus et ioseph et in ueteri testamento quam plurimi diui
tes intrauerunt in regnum dei. nisi forte quia diuitias et pro nichilo
habere et ex toto relinquere domino inspirante didicerunt.
Nunquid enim dauid in regni diuitiis confidebat qui et de semetipso
canit. quomodo unicus et pauper sum ego et alios hortatur. diuitie
si affluant nolite cor apponere. credo non ausus dicere nolite
suscipere. Nunquid abraham domino substantiam pretulisse credibile
est. pro quo unicum ferire non dubitauit heredem. Altiori autem .d.